1568/1514

TRACTATUS MEDICUS

INAUGURALIS,

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

TRACTATUS MEDICUS INAUGURALIS,

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM,

QUEM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi Admôdum Domini

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI Conſenſu,

Et Nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto,

PRO

GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

FRIDERICUS THADDÆUS LYNCH,
HIBERNUS.
A. M.
SOCIETAT. REG. PHYS. EDIN. SOC. HONOR.
NECNON,
SOCIETAT. HIB. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

AD DIEM 24 JUNII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

To you, ye Delicate! I write, for you
I tame my youth to philosophic cares,
And grow ſtill paler by the midnight lamps.
ARMSTRONG on Health.

EDINBURGI:
CUM PRIVILEGIO,
APUD ROBERTUM ALLAN.

M,DCC,XCIX.

30
74
SEP

REVERENDO ADMODUM DOMINO

D. THADDÆO LYNCH,

DE LIMERICK,

D. D.

VITA SIMUL ET ERUDITIONE

THEOLOGO,

PATRUO SUO DILECTISSIMO

COLENDISSIMOQUE,

CUI

OMNIA, PRÆTER VITAM, ACCEPTA REFERT,

OB

INNUMERA FERE, PRORSUSQUE SINGULARIA

BENEFICIA,

QUIBUS

EUM AB IPSIS INCUNABULIS CUMULARE

NON DESIIT,

HOC OPUSCULUM,

LUBENS,

GRATO ANIMO,

EAQUE, QUA PAR EST,

PIETATE ET OBSERVANTIA

D. D. D.

FRIDERICUS THADDÆUS LYNCH.

TRACTATUS MEDICUS INAUGURALIS,

DE

PERITONITIDE PUERPERARUM.

Auctore, FRIDERICO T. LYNCH, A. M.

PROŒMIUM.

QUANDOQUIDEM almæ hujus Academiæ ſtatutis ſolennibus præclarè ſancitum ſit, unumquemque antequàm Doctoratus in Medicinâ Gradum capeſſere poſſit, ſui in literis, et præſertim in arte medicâ progreſſus ſpecimen aliquod in publicum proferre, mihi jam medicinæ honores ambienti in animo eſt ſequentibus in pàginis de PUERPERARUM PERITONITIDE breviter diſſerere, morbo quidêm medicorum attentionem quàm maximè pro-

 merente,

merente, tùm ob ſævitiem, quâ per humani generis partem pulcherrimam graſſatur, cùm ob tenebras denſamque caliginem, quibus magnoperè offunditur; nam, (ut verbis præclari BURSERII utar), " De hujuſce morbi naturâ, cauſis, et cura-
" tione tantam invenio inter auctores diſſentionem,
" tantam opinionum varietatem, ut, cui Tyrones
" fidem habeant, quem ſequantur, quem ut ducem
" ſibi proponant, decerni minimè poſſit."

MORBI HISTORIA.

ADMODUM incertum eſt tempus, quo morbi hujus ſigna ſeſe oſtendere incipiunt; ſiquidèm aliquibus in caſibus viginti quatuor tantummodò poſt partum horis, imò puerperâ jam a defatigatione partus convaleſcente, contingit ejus acceſſio; in aliis e contrariò ante quintum vel ſextum diem, vel etiàm, quanquam rariſſimè, ſeriùs, haud impetum facit. Cæterùm ſecundo plerùmque, vel ineunte tertio a partu die ægra affici ſolet. Hoc autèm notatu dignum eſt, quòd quò citiùs advenit, dummodò

modò eodem violentiæ gradu, eò periculoſior evadat. Mulieres tàm facilè quàm laborioſe prolem enixas ullo ſinè diſcrimine aggreditur; imò Doctor DENMAN inquit, quòd rariùs poſt partum laborioſum accidat, eò quòd majore cum diligentiâ et ſollicitudine tunc temporis puerperæ tractentur. Nulla omninò mulier cujuſcunque temperamenti vel habitus ab ejus acceſſu ſecuram ſe credere debet; graciles verò, molliores et irritabiles habituque hyſterico afflictas maximè invadit.

Adoritur ſemper hic morbus a ſenſu rigoris plùs minùſve acerbi, aliquandò per horæ ſpatium perſtantis, vixque iſto minoris, qui febrem intermittentem comitatur, aliquandò autèm adeò levis, ut attentionem aſtantium, vel etiàm ægræ ipſius ex toto fugiat. Stadium hoc frigidum citò excipitur aucto totius corporis calore, ſiti, inquietudine, cæteriſque ſymptomatibus, febres alias comitari ſolitis, quibus nunc citiùs, nunc ſeriùs profuſus ſuccedit ſudor, quo prorumpente paululùm miteſcunt ſymptomata, mox auctis viribus reditura.

Ab ipſo morbi principio ægra conqueritur de oppreſſione et anxietate circa præcordia; de doloribus totâ paſſim abdominis regione vagantibus, præſertim verò in hypogaſtrio, qui perbrevì certâ manent ſede, ſæviores fiunt, et adeò ingraveſcunt, ut ægra ſub leviſſimo quidèm tactu crudeliter doleat; et demùm de capitis, et præſertim frontis, maximèque ſupra ſupercilia dolore acuto, quem ferè ſemper comitantur languor, debilitas, anorexia, nauſea, vomitus, et, ut HULMIO placet, vertigo.

Reſpiratio celera breviſque fit, adeò ut tantùm non anhelare videatur ægra; quod a nullo pulmonum thoraciſve vitio, ſed ex metu, ne abdominis dolor ſub plenâ inſpiratione, propter diaphragmatis in tenera et inflammata viſcera preſſionem, plurimùm augeatur, oriri conſtat. Reſpirandi hæc reluctatio abdominis dolorem paſſibus ſemper comitatur æquis.

Tuſſis ſæpe adeſt, et moleſtior fit quò magis ingraveſcit morbus; huic verò minimè propria, ſed omninò fortuita eſſe videtur.

Viſcidus

Viſcidus tenuiſque humor plerùmque per vomitum rejicitur, primò ſubviridis vel ſubflavus, poſtremò verò haud choavæ ſedimento abſimilis. Vomitus ferè ſemper dolentem ſtomachum levat; ſuperveniente autèm diarrhœâ plerùmque ceſſat. Quò minor ſit vomitus, eò majorem gravioremque eſſe diarrhœam omnium ferè obſervatione conſtat.

Ineunte morbo alvus plerùmque adſtricta eſt; interdùm, rariùs quanquàm, haud ex conſuetudine fertur; poſteà verò plerùmque ſupervenit diarrhœa, quâ inchoante dejectiones ſubvirides ſunt, aut flavæ, ſpumoſæ, et mucoſæ; deindè fuſcæ fiunt; poſtremòque ſimilis fit materies, quæ dejicitur, illi quæ evomitur, graviſſimèque olet. Unaquæque tamen dejectio abdominis dolorum levamen aliquod ad breve tempus procurat; ſed nec pulſus frequentiam, nec ſitim, nec pyrexiæ vehementiam ullo modo ſedare valet.

Infauſto exitu eventuro, fæces et urina inſciæ plerùmque elabuntur; et in quibuſdam exemplis vires adeò imminutæ ſunt, ut ægris, aliquandiù

poſt

poſt mala ſigna remota, nolentibus, alvus redderetur.

Conſtans interdùm comitatur teneſmus, et frequens urinam reddendi conatus, quæ cum dolore et difficultate perparcè emittitur. Color ejus per morbi decurſum multùm variatur; principio eſt rubida; morbo progrediente obſcurior facta fuſcum deponit ſedimentum; interdùm albida eſt, et formatâ in vertice pelliculâ ſedimentum demittit cretaceum; ſed inter morbum tàm variè ſe habet, tàmque varias exhibet ſpecies, ut vix ullum forſitan certum judicium ex ejus conditione derivari poſſit.

Lingua perrarò tàm ſcabra eſt ut in aliis febribus; interdùm madida albeſcit, et ſæpiſſimè in ejus medio adeſt linea rubra haud cooperta et ſicca; morbi verò exitum versùs fuſca vel nigra aliquando evadit, et circà extremitatem ejus interiorem admodùm arida.

Sitis plerùmque urget, et ferè ſemper in ore ſapor adeſt ingratus.

Nauſeâ

Nauſeâ magis magiſque moleſtâ factâ, nil niſi potus frigidus et acidulus deſideratur vel toleratur.

Vultus plerùmque rubore ſuffunditur, malis quaſi ſemper colore rubro vel livido imbutis.

Cutis pleriſque in exemplis aret caletque; ſed interdùm córporis calor tàm parùm auctus eſt, ut an morbo necne laboret puerpera, vix aut ne vix quidem ex ejus conditione dignoſci poſſit. Nonnunquàm partes corporis ſuperiores humiditate glutinoſâ obducuntur. Aliquandò per totum corpus ſudor lenis et incertus, ægræ levamen quoddam afferens, prorumpit; fauſto verò exitu eventuro frequentior adeſt.

Pulſus aggrediente rigore parvus, debilis, abnormis, et ſolito paulò crebrior, calore creſcente, plenior fit et multò frequentior, plerùmque a centies decies ad centies quadragies tempore unius minuti primi digitum feriens, et jam alia adſunt Diatheſis Phlogiſticæ ſymptomata; morbo autèm ingraveſcente, pulſus ſemper magis magiſque frequens

quens fit et debilis, adeòque parvus et indiſtinctus, ut ne numerari quidèm vel ſentiri poſſit.

Lochia plerùmque quoad quantitatem vel qualitatem minimè quidèm mutantur; quànquam aliàs aliquantùm minuuntur, et nonnunquàm, rariſſimè verò, gradatim penitùs evaneſcunt.

Lactis ſecretio plerùmque ineunte morbo haud variatur; per ejus verò decurſum aliquandò imminuitur, perrarò autèm omninò ſupprimitur, niſi morbus ſit provectus, vel ante ſolitum ſecretionis exordium enatus.

Pleriſque puerperis hoc morbo correptis fætum lactandi averſatio eſt, ejuſdemque incuria. Alii a morbi naturâ alienum eſſe hoc credunt; alii verò, accuratiùs judicantes, partem ejus veram conſtituere exiſtimant.

Sanguis in hoc morbo miſſus poſt concretionem ſuperficiem coriaceam albam ſemper oſtendit.

A primo morbi acceſſu vix unquam ſomnum carpere ſolet ægra, cui inſignis eſt animi dejectio, quam vultus turbatus, et timore exanimatus, anxietas ferè intolerabilis, et ſuſpiria imo pectore frequenter

quenter emiſſa, planè arguunt. Pondus et oppreſſio circa præcordia, languor magnus, viriumque ingens proſtratio eam nunc maximè urgent.

Delirium vix unquàm ſupervenit, paucis tantummodo exceptis exemplis, in quibus, morte jam in propinquo, viſum eſt.

Inflammationis ſummæque irritabilitatis ſigna poſt aliquot dies, nunc plures, nunc pauciores, hoc autèm morbo citiùs forsàn quàm in aliis primitùs verè inflammatoriis, excipiunt illa putriditatis.

Petechiæ et vibices interdùm apparent, gradatim a collo et pectore extrema uſque progredientes, quarum cauſa eſt, vel ſanguinis ſtatus vitiatus et corruptus, vel ingens arteriarum minimarum debilitas globulorum ſanguineorum elapſum permittens, vel, quod veroſimilius, utrumque.

Eruptiones miliares, quæ nonnunquàm viſæ ſunt, methodi medendi potiùs quàm morbi ipſius effectum eſſe afferit Doctor DENMAN; morbum enim miteſcere, prout in veris exanthematibus accidit, minimè faciunt.

Tumor eryſipelatoſus ſubruber circà ſolidi Anglici magnitudinem, interdùmque amplius, nonnullis in exemplis ſuper condylos, carpos, cubitos, genua, et talos apparuit.

Quibuſdam in caſibus aphthæ per totam oris ſuperficiem internam apparuerunt, et in rariſſimis exemplis circa anum repertæ ſunt; ex quo nonnulli ab ore ad anum uſque diffundi eas crediderunt. Hanc autèm notionem cadaverum inciſio minimè confirmat.

Debilitas tandèm adeò rapidè augetur, ut ægra, ſeſe in cubili vertere nequiens, reſupina jaceat; abdominis capitiſque dolor intolerabiliter excruciat; continua urget vigilia, vel ſi ægra paululùm obdormiſcat, ſubindè repentino impetu expergefacta minimè quidèm recreatur; abdomen initio nec tumidum, durum, vel decoloratum, nunc magnoperè intumeſcit, et adeò crudeliter torquetur, ut vix ſtragulorum pondus patiatur; duritiei autèm ejus vel decoloratio vix, aut ne vix quidèm unquàm obſervatur; rapidiſſimus fit pulſus; oculi, ſolito jam ſplendore amiſſo, languentes deprimuntur; nares diſtentæ

diſtentæ et patulæ ſunt; liveſcunt labra; fæces et urina præter voluntatem labuntur; illæ, quanquàm fœtidiſſimæ, magno eſſe videntur levamento, quod ægram aſtanteſque inani ſpe ſalutis lactare ſolet, præſertim cum paucis ante mortem horis abdominis dolor in pleriſque ſubitò quaſi ceſſet, ejuſque diſtenſio ob gravem diarrhœam aliquatenùs ſubſideat; attamen pulſus nunc tremulus fit et fluctuans, adeòque debilis, ut ſentiri minimè poſſit; reſpiratio adeò celera et brevis, ut pectus vix moveri videatur; ſanguinis motu in remotioribus arteriarum ramuſculis languente, extrema frigeſcunt, viſcidiſque cooperiuntur ſudoribus; ſævi tandèm miſeræ letho finiuntur dolores.

Tempus exitus infauſti in aliis aliud; ex corporis enim viribus, conſtitutione et habitu, ex morbi violentiâ, medendique methodo, et ex tempore quo morbus adoritur, maximè pendet. Morti plerùmque ſextum intrà et duodecimum diem ſuccumbit ægra. Interdùm verò ſpiritus haud ità citò deſerit artus; et haud deſunt exempla quædam rara, in quibus ægram, horis viginti quatuor, vel triginta

ſex poſt primum morbi acceſſum, abſtulit atra dies, et funere merſit acerbo.

Quamvis morbus hic plerùmque ſit exitialis, tamen quibuſdam in caſibus eventus procuratur fauſtus magno ſcilicet ſtercorum colore naturali tinctorum, vel ſudoris, vel, quod rariſſimè, urinæ profluvio, ſub vel juxta diem ab acceſſu undecimum ſuperveniente. LEAKIO autèm de criſi longè alia mens eſt. Verba enim ejus hæc ſunt: " A per-
" fect *Criſis* ſeldom ever happened in this fever;
" it takes ſo ſevere a hold of the conſtitution at
" its firſt onſet, that the vital powers languiſh,
" and are unable to produce that ſalutary event.
" Indeed, the ſuppuration of the *Omentum* may
" be looked upon as a critical abſceſs, though of
" the unfavourable kind; for, it ſeems to be an
" unſucceſsful endeavour of nature to free her-
" ſelf from the morbid cauſe; but, wanting ſuf-
" ficient ſtrength to throw it to the ſurface of the
" body, it falls upon the interior parts eſſen-
" tial to life, and therefore unavoidably becomes
" mortal.

" Sometimes

" Sometimes there was a manifeſt remiſſion of " the ſymptoms; but, where that was not at- " tended with an univerſal ſweat, or copious diſ- " charge of turbid urine, it was ſeldom laſting; " in ſhort, when the ſecretions are only partially " promoted, the criſis is imperfect, and the patient " is ſubject to a relapſe."

Sequelæ ſunt, dolores artuum erratici; torpor membrorum paralyticus, illi, qui rheumatiſmum chronicum comitatur, haud multùm abſimilis; abſceſſus in variis corporis partibus muſcularibus: Quædam, quæ convaluerant, lentis febribus intermittentibus laboraverunt, viribus multùm imminutis, ingentique animi dejectione.

Priuſquàm morbi hujus hiſtoriæ finem imponam, haud abs re erit recenſere, medicos quoſdam apud ædes privatas obſervaſſe ſymptomata, a ſuprà memoratis, quæ per Noſocomia videntur, diverſa. Illic enim, ut aiunt, modò a diarrhœâ, modò ab iſchuriâ exoritur morbus; delirium ſæpè ſecundo vel tertio die ſupervenit; pulſus, primò durus et plenus, citò frequens fit et debilis; dentes ſæpè nigrâ

nigrâ obducuntur ſorde; plerùmque, haud ita multò ante mortem, intervenit coma, ſubſultant tendines, convulſionibus afficitur ægra, quæ tandèm jacet immiti morte conſumpta.

PHŒNOMENA CADAVERUM INCISIONE INVENTA.

Præcipua poſt hanc febrem phœnomena morbida in abdominis cavo deprehenduntur; hoc enim inciſo plurimum aëris fœtidi erumpit, multumque liquoris ſeroſi et albidi, particulis quibuſdam, tanquàm puris concreti, vel lymphæ coagulatæ, in eo innatantibus, vel inteſtinis adhærentibus, invenitur. Hujus fluidi analyſin aliquantò accuratam fecit Doctor Georgius Pearson, qui ex experimentis infert, mechanicam videri commiſturam ex cujuſdam leviter coagulati parte unâ, et fluidi multis in qualitatibus ſerum ſanguinis referentis, partibus ſexaginta tribus. Sed quoad qualitatum diſcrimen hocce quoddam coagulatum inter et lympham ſanguinis coagulabilem, materiam caſeaream, pus, mucum, aliaſve mucilagines animales,

les, nullum, ait, formare poſſumus, ni minutiora inſtituamus experimenta.

Peritonœum plùs minùs inflammatione afficitur, et omentum plerùmque ex toto liquefactum diſſipatur, vel ſi qua ejus remaneat pars, pinguedine ſuâ abſumptâ, modò in ſuppurationem, in ſphacelum modò abiiſſe compertum eſt.

Inteſtina plerùmque, et præſertim tunica eorum externa, magnoperè inflammantur, ſibique invicem hinc illinc perleviter connectuntur. Pleriſque in caſibus aëre fætidiſſimo haùd parùm diſtenta ſunt; in aliis quanquàm, maximè ubi aderat ingens diarrhœa, ea, haud ſecùs ac totum abdomen, collapſa inveniuntur.

Uteri nec ſuperficies externa, niſi fortè partem aliquam inflammatione vel ſphacelo affectam tetigiſſet, nec interna, niſi ab aliâ præter hunc morbum afficeretur cauſâ, unquàm a ſtatu, ſub idem a partu tempus naturali, diverſa reperta eſt.

Quod de Utero dixi, de ovariis quòque dicendum venit.

Inflammationis ſigna vix unquam in Thoracem inſerpunt.

CAUSÆ

CAUSÆ.

Obscuritatem propter et tenebras, quibus plurium, ne dicam omnium morborum cauſæ involutæ ſunt, haud poſſibile eſt regulari eas ſerie diſponere. Homines ſententiis adeò diſſentiunt, ut quod huic cauſa proxima, illi prædiſponens tantùm, alteri verò morbi ſymptoma eſſe videatur; quia, ut Profeſſor noſter Celeberrimus Gregorius elegantiſſimè notat, " Morbus non eſt unus et ſimplex " eventus vel mutatio, qualem in rebus inanima- " tis contemplari ſolemus, et effectum vocare; " ſed ſeries ſæpè longa talium eventuum vel mu- " tationum, quarum aliæ aliis cauſæ videntur " eſſe." Et iterùm, " Symptomata vel morbi " indicia alia alia producentia, prima ab ipſâ mor- " bi cauſâ provenientia." Exindè oritur difficultas et quaſi impoſſibilitas pluribus in caſibus diſcernendi cauſas inter et effectus. Nulla igitur nobis de variis auctorum circa haſce res opinionibus admiratio incidit.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

QUONIAM mulieres in hunc morbum nunquàm, niſi poſt partum, etſi omnibus aliis cauſis, quæ ad morbum excitandum valent, fuerint obnoxiæ, incidiſſe experientiâ conſtat, ideò inter cauſas ejus prædiſponentes puerperium jure meritoque primum ſibi locum vindicat.

Inter harum quòque præcipuas recenſeri debet particularis illa debilitas, quæ partui ſuccedit. Cuique dubio procul obvium ſit neceſſe eſt, totius corporis ſtatum inter graviditatem multis variiſque affici modis. Uterus gradatim mole ſua creſcens, magnamque abdominis partem occupans, ingentem laſſitudinem et debilitatem nequit non afferre. Animus ob ſuum cum corpore conſenſum, et ob incertæ ſortis periculique formidinem, quâ mulieres pleræque haud ita multò poſt conceptum afficiuntur, quàm maximè dejicitur. Alimenti magna illa copia, ad fœtum per novem menſes ſuſtentandum neceſſaria, partus tormina immania et horrenda, necnon evacuationes proximè ſuccedentes, matris

vires haud parùm deficere faciunt. Porrò quandoquidèm irritabilitas aucta debilitatem ferè ſemper comitatur, ita inter graviditatem, multòque magis inter puerperium videmus mulieres eſſe ſummoperè irritabiles, earumque ſanitatem maximè perturbari, uti manifeſtant anorexia, nauſea, vomitus, inſolitæ appetitiones et averſationes, &c. Apud omnes igitur conſtat, quòd quò magis debiles et irritabiles fiant mulieres, eò magis huic morbo obnoxiæ ſint.

Corpus quòque prædiſponi dicitur ab omnibus quæ plenitudini favent, ut cibi nimis conditi copia, diæta vel quoad quantitatem vel qualitatem aliena, præcipuè ſi animalis ſit, vita otioſa et ſedentaria, liquoreſque ſpirituoſi. Quodcunque etiàm corpus extenuare valet ex prædiſponentibus eſt, ut cibus parcior parùmve nutriens, vomitus vel dejectio immodica, exercitatio vehemens, ſomnus nimiùm longus vel brevis, evacuationes profuſæ, frigus cum humiditate corpori, præſertim ſudore manante, admotum, &c. Odorum quorundam olfactus mulieres quaſdam hyſtericas et molles huic

morbo

morbo maximè proclives reddit, utpote qui perſæpè afferunt oppreſſionem circa præcordia, vertiginem, animi deliquium, et aliquandò delirium; imò verò ſimiles effectus haud rarò producuntur roſarum, aliorumve florum innoxiorum odore in mulieribus, et etiam viris, optimæ et integerrimæ valetudinis, apud quos eorum uſus haud obtinuit, ut mihi in Italiâ, et Romæ præſertim, degenti ſub oculis ſæpiſſimè verſabatur.

Nonne omnes aſſentire debent ſententiæ PATRICII KEARY, ita in Diſſertatione ſuâ Inaugurali expoſitæ?—" Nec quin credam poſſum inducere " animum, peſſimum illum et deteſtandum ſan- " guinem prægnantibus mittendi morem, quodam- " modò ob eandem cauſam" (plethoram ſcilicet augendo), " morbo opportunitatem præbe- " re."

Suprà propoſitis annumerari debent quidam animi affectus, tàm deprimentes quàm excitantes, præſertim verò illi, ut animi dolor, luctus, terror, metus, pudor, ſollicitudo, mæſtitia, &c. Hinc accidit, ut celeberrimus LEAKIUS notat, puellas,

quæ, ubi nubilibus primùm maturiunt annis, viri ardentes amore, et ſacra conjugii jura haud expectantes, Veneri privatim ſe devovent, indèque gravidæ factæ dedecus et infamiam expectant, in hunc morbum maximè proclives eſſe.

Nemo, ni fallor, dubitare poteſt, quin calor nimius cauſis hujuſce morbi prædiſponentibus adſcribi debeat. Omnibus olim, et etiàm uſque adhuc aliquibus mos perabſurdus eſt, calorem ingentem puerperis focillare, ſtragulorum mumerum augendo, aſſiduis ignibus focos cumulando, et cubiculum adeò concludendo, ut ne minima quidèm aura penetret, ex quo ſudor præter naturam profuſus inducitur, qui ſæpiſſimè augetur vino, potionibuſque cardiacis, calidis et aromaticis, liberaliſſimè ab aſtantibus et nutricibus bono, ut credunt, conſilio exhibitis.

Humorum acrimonia nimia a celeberrimis quibuſdam auctoribus inter præcipuas hujuſce morbi cauſas prædiſponentes recenſetur.

Deniquè injuria quælibet alicujus momenti inter vel ſub partum, ob temeritatem, imperitiam, vel crude-

crudelitatem obſtetricis, utero vel partibus vicinis illata, ut et quævis imprudens puerperæ adminiſtratio, corpus huic morbo proclivius reddere ſolet.

CAUSÆ EXCITANTES. De his ſub diviſione proximâ pauca dicere conabor.

MORBI NATURA.

MULTÆ variæque de morbi hujus cauſis excitantibus, ut et de ejus naturâ, ſententiæ ab auctoribus excuſſæ fuerunt, quarum omnium enumeratio inutilis pariter eſſet et ingrata; nonnullas tamen, præcipuas ſcilicet, et quæ apud celeberrimos quoſdam adhuc prævalent, recenſere operæ pretium duco.

Ex compluribus ingenioſiſſimis auctoribus alii * morbum hunc ad lactis metaſtaſin, alii † ad lochiorum

* VAN SWIETEN, LEVRET, SYDENHAM, BOERHAAVE, MAURICEAU, ASTRUC, &c.

† HIPPOCRATES, AVICENNA, SENNERTUS, &c.

rum retentionem, vel eorundem abſorptionem, retulerunt. Hæ autem theoriæ futilibus et haud accuratis innituntur fundamentis; pleriſque enim in caſibus, ut jam antea dixi, lactis fit ſolita ſecretio, et lochia plerùmque per totum morbi decurſum ubertim profluunt. Et quidèm lactis et lochiorum diminutio vel ſuppreſſio pro morbi effectibus, non pro cauſis, habendæ ſunt, eorumque reditus ſymptomatum levamini, non horum levamen illorum reditui tribui debet. Inſuper lac in quovis morbo acuto puerperis ſuperveniente vel ex parte vel ex toto pro ſymptomatum violentiâ ſupprimi ſolet, tamen puerperarum peritonitis minimè inducitur; et ſi a fluidi hujus metaſtaſi morbus noſter oriatur, quâ de causâ nunquam advenit mulieribus, cum infantes lactare deſinant? Ad hæc, peritonitis puerperarum tam citò poſt partum plerùmque invadit, ut temporis ſpatium lactis mutationi, vel abſorptioni, vel interdùm ne quidèm ejus ſecretioni minimè ſufficiat. Quod ad lochia pertinet, eorum quantitas a mulieris temperamento, ut et a laxitate vel rigiditate fibrarum uterinarum maximè

pendet,

pendet, ità ut ſæpiſſimè parca ſit exigua, imò etiam aliquandò ſuppreſſa, abſque puerperarum peritonitidis ſymptomatibus, nec recens eorum eruptio, ubi ſuppreſſa fuerant, quàmvis optimum ſit ſignum, morbum ſolvere ſolet.

Plures alii * putarunt morbum primarium eſſe inflammationem uteri ipſius vel membranarum eum inveſtientium, quæ indè brevi temporis ſpatio per totam peritonæi expanſionem ſerpit; ſed nec uterus ipſe nec membranæ eum inveſtientes unquam, niſi fortuitò fiat, minimâ inflammatione afficiuntur; et dolor, non in regione uteri, ſed in aliâ abdominis parte primò adoritur, et per morbi decurſum ſemper maximè ſævire ſolet. Ad ſummam, hyſteritidis ſymptomata inter et puerperarum peritonitidis magnum adeſt diſcrimen, ut in diagnoſi ſtatuendâ mihi obſervandum erit.

Haud deſunt qui opinantur † puerperarum peritonitidem eryſipelatis naturam præ ſe ferre, ob nullam

* Hoffman, Denman, Johnston.

† Dr Hamilton Obſtetr. in Academ. Edinburg. Prælect.—Downman, aliique.

nullam aliam, ni fallor, cauſam, quàm quòd hi duo morbi eodem tempore, et forsàn in eâdem puerperâ, obſervati ſunt. Contra hanc opinionem GEORGIUS PITT STEVENSON, in Diſſertatione ſua Inaugurali, hæc verba habet: " Verum enimverò " ſi cum medico, noſologiâ celeberrimo, qui, jure " quàm optimo, medicæ opis, rationalis maximè, " inventor auctorque nunc præſens habeatur, qui- " que, clarus poſtgenitis, ſicut HIPPOCRATES, " HARVEY, et BOERHAAVE, ſuum et ipſe ſecu- " lum nobilitabit, proponamus, eryſipelas fieri " poſſe tantummodò in ſuperficie cuticulâ obductâ " ejuſdemve continuatione, quæ neutiquàm ad viſ- " cerum in abdomine peritonæum pervenire " queat; aut ſi cum quolibet, iſtarum rerum " haud incurioſo, animadvertamus, nunquam ullum " ſcilicet pus ſubeſſe, neque vitioſam lympham " coagulandam exſudari, neque adeo vicinas par- " tes agglutinari, quotieſcunque inflammatio ery- " ſipelatis merè extiterit; tum denique ad putan- " dum facilè inducemur, inflammationem, quæ

" huic

" huic morbo adſit, haud eſſe eam, eryſipelas " quod" (mallem *quæ*) " ſpecialiter vocatur."

Sed medicorum acies ferè innumerabilis * contendit puerperarum peritonitidem inter et typhum nullum intereſſe diſcrimen, doloremque abdominis ſymptomaticum ſolummodò eſſe. Sententiæ hujus defenſores ità argumentum inſtituunt: puerperarum peritonitis iiſdem, quibus typhus, aliique morbi putridi, annis et locis epidemicè graſſari ſolet, ab eâdem igitur contagione producatur neceſſe eſt. Rigor dolorem abdominis ſemper præcedit, hujus itaque eſt cauſa. Quod ad primum argumentum attinet, nonne duo morbi eodem tempore, imò etiam in eâdem perſonâ ſævire poſſunt? Nonne CLARKE Dublinienſis teſtatur, pneumoniam et rheumatiſmum eodem, quo puerperarum peritonitis, tempore per Dublinium graſſata ſuiſſe? Nonne in regio Edinburgi noſocomio eodem tempore graſſabatur eryſipelas? Nonne denique anno 1746 morbo noſtro Pariſiis ſæviente, permulti morbis inflammatoriis

* WHITE Mancheſtrenſis, CLARKE Londinenſis, WALSH, aliique plurimi.

flammatoriis afficiebantur? Hoc igitur argumento parum probari poteſt, multoque minùs ſecundo, quod affirmat, rigorem dolorem abdominis ſemper præcedere. Nonne enim rigor in pneumoniâ, rheumatiſmo, aliiſque morbis verè inflammatoriis dolorem ſæpiſſimè præcedit? Et quidèm in morbo noſtro haud ſemper præcedit rigor; dolor enim ab ipſo principio plerùmque ſentitur, ut jam anteà dixi.

Sed ſi typhus ab eâdem, quâ puerperarum peritonitis, contagione oriatur, quâ de causâ typho nunquàm afficiuntur gravidæ, vel famulæ, quæ in eodem, quo puerperæ morbo noſtro laborantes, cubiculo dormire ſolent, ac proindè eidem contagioni maximè obnoxiæ ſunt? Nullum verò evidens et certum habemus exemplum typhi a puerperarum peritonitidis contagione propagatæ.

De diſcrimine autem morbum noſtrum inter et typhum aliquid modò dicendum reſtat. In typho nullus adeſt peculiaris propriuſque abdominis cruciatus vel inflammatio, morbum autem noſtrum ingens abdominis cruciatus, et peritonæi vel omenti

ti quædam inflammatio nunquàm non comitantur, in illis etiam puerperis, quæ paucis poſt morbi acceſſum horis morti occubuere. Delirium ſæpiſſimè in typho, in puerperarum peritonitide nunquam ſupervenire ſolet, paucis tantummodò exceptis exemplis, in quibus morte jam in propinquo accidit. In typho ſenſorii functiones plurimùm turbantur, in peritonitide autem puerperarum nunquàm, ne quidem morte inſtante, afficiuntur. Puerperarum peritonitis multò citiùs, quàm typhus, ſuum perficit curſum. Sed quid multa? Nonne typhus vera, a contagione evidente orta, puerperas aliquandò invadit, abſque puerperarum peritonitidis ſignis pathognomonicis? Hujuſce rei exemplum luculentiſſimum memoriæ traditur, a Celeberrimo KIRKLAND, ſequentibus verbis:—" A young " woman had very lately, as I was informed, an " extreme good time of her firſt child; but ſhe " was unfortunately put into a bed, out of which " her ſiſter, my patient, was removed, who had " long lain ill of a ſlow nervous fever. If we ex- " cept her not having a ſtool, ſhe went on very

" well for five or ſix days, the lochia being pro
" perly diſcharged; ſhe ſlept well, and her breaſts
" were properly filled with milk; but, about
" the concluſion of this period, probably when
" the miaſma received from the curtains and
" bed-clothes began to take effect, ſhe com-
" plained of pain in her head, was feveriſh,
" and her fever increaſing with want of ſleep, I
" was deſired to ſee her, on the eighth day of her
" lying-in. I then found her in a hot ſweat,
" with an exceſſive quick weak pulſe, and exactly
" the ſame kind of ſymptoms which accompanied
" her ſiſter's fever. A clyſter was immediately
" given with good effect; other remedies were
" ordered; and her breaſts had been, and ſtill
" continued to be carefully drawn, till they be-
" came flaccid from milk not being ſecreted; but
" the parents of the woman having loſt another
" daughter in childbed, were firmly perſuaded
" that this would alſo die. Thus ſhe continued
" in the ſame bed, remedies were entirely ne-
" glected, ſhe ſoon became delirious, and did die

" on

" on the twelfth day from her delivery; but ſhe " had neither diarrhœa, pain, ſoreneſs, or ſwelling " in any part of the abdomen, though the lo- " chia entirely ſtopped on the ſecond day of the " fever."

Duo hujuſmodi exempla æquè perſpicua et manifeſta et ipſe vidi, et CLARKE Dublinienſis tredecim a ſe viſa enumerat.

Ad hæc omnia igitur quid reſpondebunt WHITE cæterique, qui puerperarum peritonitidem typhum eſſe mulieres in puerperio aggredientem contendunt? Nonne fateri cogentur ſententiam ſuam minimè veram eſſe?

Nonnulli * quidèm morbum noſtrum ex inflammatione peritonæi et omenti oriri putârunt, adjicientes tamen inflammationem produci vel ab uteri inter graviditatem preſſione, vel a ſubitaneâ ejuſdem preſſionis poſt partum remotione. Si talis eſſet vera inflammationis origo, morbus inter puerperas multò frequentior eſſe debet; puerperæ enim ferè omnes iiſdem cauſis ſunt evidenter

* HULME, LEAKE, &c.

denter obnoxiæ. Inſuper inflammatio et effuſio huic morbo minimè peculiares ſunt; eadem enim phœnomena in cadaveribus poſt febres intermittentes vel remittentes *, ut et poſt cujuſlibet membranæ pellucidæ inflammationes † inventa fuerunt. Si inflammatio ab uteri inter graviditatem preſſione penderet, multò frequentior ante quàm poſt partum, ob majorem tunc temporis preſſionis gradum, inveniretur; hoc autem nunquam accidit; ſi verò a preſſionis remotione ſubitaneâ procederet, quâ de causâ minimè accidit immediatè poſt partum? Quare non in omnibus puerperis? Curnàm frequentior eſt et funeſtior in noſocomiis et oppidis quàm in ædibus privatis et rure? Ad ſummam, ſi inflammatio ſola ſit cauſa, quomodò harum theoriarum defenſores explicabunt morbum eſſe contagioſum? Per contagionem enim propagari, imò epidemicè aliquandò graſſari, a monumentis medicinæ

* Cleghorn's Diſeaſes of Minorca — Pringle — Lind, &c.

† Morgagni, de Cauſis et Sedibus Morborum.

cinæ veracibus, factiſque haud ambiguis nobis ſatis exploratum eſt, ut ex ſequentibus apparebit.

Quamvis unus ſit omnium ſenſus puerperarum peritonitidem per omne ævum extitiſſe, nulla tamen in medicinæ monumentis adeſt mentio illius unquàm epidemicè graſſantis uſque ad ſæculi hujus medium. Morbum quidèm huic noſtro ſubſimilem inter puerperas Pariſinas anno 1664 ſæviiſſe narrat Dominus Peu; ſed de ejus naturâ haud nobis liquet. Dominus Jussieu certè primam peritonitidis puerperarum epidemicè graſſantis deſcriptionem accuratam tradidit, anno ſcilicet 1746, cum Pariſiis in noſocomio L'Hotel Dieu denominato ſæviebat.

Ab illo hoc uſque tempus plurimis in locis epidemicè apparuit, præſertim Londini annis 1760 et 1770—Dublinii annis 1767, 1774, 1787, et 1788—Pariſiis in noſocomio L'Hotel Dieu epidemicè graſſabatur ſine intermiſſione ab anno 1774 ad annum uſque 1786—Edinburgi anno 1774 epidemicè ſæviit in eâ noſocomii regii parte, quâ obſtetricium tunc temporis exercebatur—et annis 1787 et

1788

1788 in plurimis Angliæ partibus, præcipuè vero Londini epidemicè apparuit. Omnibus his locis ſævities ejus immanis erat et horrenda.

Jam verò refutatis breviter ſupra enumeratis auctorum ſententiis, quid egomet de morbi hujus naturâ cauſiſque excitantibus ſentio, paucis exponere mihi liceat; ſed priuſquàm ad rem aggrediar, ad majorem perſpicuitatem omnia in hoc capite adhuc recenſita uno conſpectu intueamur. Puerperarum peritonitidem nec a lactis metaſtaſi, nec a lochiorum retentione vel abſorptione, nec ab uteri vel membranarum eum inveſtientium inflammatione, nec ab eâdem, quâ eryſipelas vel typhus, contagione, nec a merâ peritonæi vel omenti inflammatione oriri poſſe ſuprà indicavi, pariterque eſſe morbum contagioſum imò epidemicum oſtendi; jure igitur meritoque mihi concludendum eſt puerperarum peritonitidem morbum eſſe *ſui generis*, ab omnibus aliis diverſum, et a nullâ aliâ causâ oriri poſſe, præter aëris ſtatum noxium et malignum, qui modò univerſalis eſſe poſſit in regione ſeu urbe, modò localis tantùm; ſed quoniàm nec mulieres

utero

utero gerentes, nec minimè prægnantes huic morbo obnoxiæ ſunt, ſequitur ſtatum hunc peculiarem aëris malignum minimè ſufficere ad morbi hujus productionem, donec ob partum corporis fiat quædam mutatio.

Mihi autem ad aures verſatur aliquis quærens quomodo contagio hæc vel aëris conditio noxia et maligna ſeu localis ſeu generalis producatur, vel producta inducat inflammationem peritonæi vel omenti et nullius aliæ partis, comitantibus pyrexiâ aliiſque morbi ſymptomatibus. Talia interroganti ſic reſpondeo cum celeberrimo SYDENHAM:— "Quæ qualiſque ſit illa aëris diſpoſitio nos pariter "ac complura alia, circà quæ vecors et arrogans "philoſophantium turba nugatur, planè ignora-"mus."—Et quidèm morbus noſter minimè unicus eſt, qui, reverà primariò affectio localis inflammatoria, per contagionem propagatur; cynanche enim maligna, in quâ, præter tonſillas et membranam fauclum mucoſam, nulla alia pars inflammatione afficitur, a contagione ſpeciali produci ſolet. Conſiderantibus autem nobis inflammationem et

ſuppurationem peritonæi et omenti, magnamque fluidi quantitatem in abdomine inventam, judicandum eſt, morbum hunc primariò verè inflammatorium eſſe, citò autem putridum devenire ob materiæ effuſæ abſorptionem.

Se tu vedi che tocchi o vada appreſſo
Al ſegno il mio parer, dàgli il conſenſo,
Se no, reputa'l ſciocco e me con eſſo.

ARIOSTO.

MORBI DEFINITIO.

Si quid ſit in me ingenii, quod ſentio quàm ſit exiguum, aut ſi recta ſit jam expoſita de morbi hujus indole ſententia, puerperarum peritonitidem ad Phlegmaſiarum ordinem referre, et ita definire minimè hæreo.

Morbus Contagioſus; Febris Synocha; in peritonæo, præcipuè per omentum extenſo, dolor acutus, tactu leviſſimo auctus, ſecundo plerùmque poſt partum die adoriens, cum dolore capitis, ſupra

ſupercilia

ſupercilia præcipuè, pungente; reſpiratio celera breviſque; vomitus ſæpe, et diarrhœa, tertio plerùmque die ſuperveniens; delirium nullum; ſenſorii functiones minimè læſæ.

RATIO SYMPTOMATUM.

Dolor abdominis ab eâdem, quâ in aliis inflammationibus dolor, causâ producitur.

Abdomidis tumiditas ab aëre in inteſtinis ipſis incluſo haud ex toto pendere ſolet, ſed partim evidentiſſimè tribuenda eſt expanſioni aëris in ipſo abdominis cavo generati a putridâ omenti diſſolutione et a corruptione fluidi illic effuſi.

Reſpiratio celera, ut jam antea dixi, non ex pulmonum vitio, ſed ex dolore pendet, qui diaphragmatis inter inſpirandum in inflammata viſcera preſſione, et muſculorum abdominalium inter expirandum in eadem contractione producitur.

Nauſea, et vomitus materiæ ſubviridis vel ex ventriculi atoniâ, ejuſdemque ſtatu irritabili oriri videntur, vel ex bilis per pylorum in ventriculum a-

ſcenſu, qui motus inteſtinorum periſtaltici inverſione efficitur. Motus hic inteſtinorum periſtalticus invertitur vel ob conſtrictionem eorundem ſpaſmodicam ſtercorum deſcenſum prohibentem, vel ob ſtimulum et irritationem præternaturalem iis et ventriculo impertitam ab inflammatione et a bile, quæ eo ipſo tempore majore copiâ ſecernitur. Bilis hæc præternaturalis ſecretio tribuenda eſt mutatæ in puerperis uteri conditioni, majorem ſanguinis determinationem ad alia viſcera, præſertim ad jecur efficienti, vel perpetuo bilis vomitui, qui excretoria emulgendo ejus ſecretionem quàm maximè auget.

Obſtipatio producitur a tubi inteſtinalis conſtrictione ſpaſmodicâ ſtercorum deſcenſum prohibente; a ſolito prægnantium et puerperarum temperamento; ab inflammatione, diametros vaſorum, quæ mucum ad motum periſtalticum neceſſarium ſecernunt, diminuente.

Diarrhœa oriri ſolet a copiâ bilis præternaturali in tubum inteſtinalem effusâ, eum ad immoderatam actionem ſtimulante.

Virium

Virium ſubita proſtratio eodem, quo in Gaſtritide et Enteritide, modo explicari poteſt, ſcilicet ob magnum cerebrum inter et tubum inteſtinalem conſenſum.

Dolorum abdominalium ſubita ceſſatio, quæ ferè ſemper paulò antè mortem accidit, ab inflammationis in gangrenam, quæ partium mors eſt, terminatione producitur.

Vigilia conſtans et rarius delirium ab exquiſitâ ſyſtematis ſenſibilitate pendent. Delirii quidèm infrequentia ita a celeberrimo HULME explicatur:— "Perhaps it may be owing to the rapid progreſs "the diſtemper generally makes, when it proves "fatal; ſo that there is not time for that change "to be made in the brain, as in many other fe-"vers of long duration; beſides, the ſeat of this "diſorder is never in the head, but always confin-"ed within the trunk of the body."

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

QUAMVIS quis attentè morbi hujus deſcriptionem jam antea datam conſiderans, præſertim ſigna ejus pathognomonica, cruciatum ſcilicet abdominis torquentem, magnamque ejuſdem teneritudinem, comitante pyrexiâ, et dolorem ſuprà ſupercilia peracutum, illum ab omnibus aliis non poteſt non dignoſcere; tamen, quoniàm ſymptomata ejus nonnulla ad quorundam morborum ſymptomatum ſimilitudinem maximè accedunt, notas quaſdam hunc inter et illos morbos diſcrimen certius reddentes breviter exponam. Morbi igitur, quibuſcum hic noſter ullo modo confundi poteſt, ſunt ſequentes: dolores partui ſupervenientes, febris lactea, febris miliaria, Colica, Hyſteritis, Cholera morbus, et Enteritis, a quibus omnibus ità dignoſci poteſt, et

1*mo*, Quidèm a *doloribus partui ſupervenientibus*; hi enim nullâ ferè comitantur pyrexiâ, et per intervalla tantùm redeunt; illi verò per totum morbi decurſum continuò urgent.

2*do*, A

2*do*, A *febre lactea*, quæ multò mitior eſt, et in quâ mammæ glandulæque axillares tumeſcunt et dolent, ſine ullo abdominis dolore peculiari.

3*tio*, A *febre miliariâ*; in hâc enim adeſt odor corporis acidus, pruriens cutis ſenſatio et eruptio inſequens, quæ levamen magnum afferre ſolet, ſine ullis morbi noſtri ſignis pathognomonicis.

4*to*, A *Colicâ*, eò quòd dolor in hoc morbo circa umbilicum præcipuè torquet, et preſſione ferè ſemper levatur; alvus quoquè aſtringitur, et plerùmque nulla adeſt pyrexia, ſaltem primaria, quorum neutrum in peritonitide puerperali evenire experientiâ conſtat.

5*to*, Ab *Hyſteritide*, eò quòd hunc morbum comitantur ponderis doloriſque ardentis et pulſatilis ſenſus in regione tantùm uteri et vaginæ, pulſus valde durus, et cutis maximè calida; porrò lochia in hoc morbo ferè ſemper ſubitò ſupprimuntur, quod nunquàm in illo accidit. Tactui quoquè os uteri in hyſteritide dolet, et delirium citò invadit.

6*to*, A *Cholerâ*; in hâc enim nulla adeſt ſpirandi moleſtia, nullus abdominis ſub tactu leviſſimo cruciatus,

cruciatus, nulla aut ferè nulla pyrexia. Vomitus quoque et diarrhœa multò ſæviores ſunt, et nullum afferunt levamen, ſurarumque adſunt ſpaſmata.

Poſtremòque ab *Enteritide*, quicum faciliùs confundi poſſit, quia in hoc morbo abeſt dolor ſuprà ſupercilia acutus, abdominiſque inferioris teneritudo, et ſpirandi difficultas. Abdominis quòque dolor circa umbilicum præcipuè torquet, pulſus valde durus eſt, alvus pertinaciter aſtringitur, et delirium citò invadit.

PROGNOSIS.

Nullus ferè præter peſtem morbus eſt, qui plures ex miſeris ab eo correptis interimere ſolet, quàm puerperarum peritonitis. Ex noſocomiorum enim tabulis apparet, e quinque ab eâ correptis vix unam revaleſcere; et apud ædes privatas, ubi tantâ ſtrage graſſari minimè ſolet, ex ſingulis ſeptem ægris quinque violentiæ ejus ſuccumbere experientiâ conſtat. Maximè igitur cauta, ne dicam quaſi

ſemper

ſemper infauſta, eſſe debet noſtra prognoſis.

Quò debilior ſit ægræ conſtitutio, quò magis exhauſtæ ſint ejus vires, et quò citiùs a partu morbus invadat, eò magis infauſtus exitus timendus eſt. Si pulſus valdè frequens ſit et debilis, malum nobis præſagiendum eſt; nec meliùs augurari debemus, licet modò frequens ſit, modò tardus; et quidèm, quamvis plurima alia ſymptomata miteſcere videantur, nulla iis fides habenda eſt, niſi pulſus frequentia minuatur.

Quantò major ſit dolor, ſed præſertim quantò major ſit tenſio abdominis, quantòque difficilior reſpiratio, tantò periculoſior morbus. Quàmvis quidèm notatu digniſſimum eſt, haſce mulieres in ſummo periculo eſſe, quæ per morbi decurſum minimas querimonias edunt, præſertim ſi pulſus debilis ſit et frequens, et tenſio abdominis haud exigua.

Vigilia conſtans, lingua arida et ſcabra, genarum color lividus, et ineunte morbo obſtipatio, mala ſunt ſigna.

Sudores gelidi et glutinoſi in partibus corporis extremis prorumpentes, vomitus vel dejectio mate-

riæ nigræ et fœtidæ, ſubita doloris ceſſatio, pulſus frequens debilis et abnormis, vultus color pallidus vel lividus, petechiæ, coma, delirium, ſubſultus tendinum, tumores ſuper articulos eryſipelatoſi, mortem inſtare præmonent.

Affectuum animi deprimentium præſentia prognoſin noſtram minùs fauſtam ſemper reddere debet.

Si diarrhœa ſuperveniat, vel medicamentis inducatur, pulſus frequentiâ haud diminutâ, et ſi ægræ vires ſint exhauſtæ, morbi exitus probabiliſſimè infauſtus erit. E contrariò, ſi diarrhœa lenis citò accidat, et ſi ægra illam ferre poſſit, pulſu eodem tempore tardiore facto et pleniore, ſi cutis et lingua humeſcant, dolore et tenſione abdominis diminutis, ſpirandique difficultate amotâ, ſpem ſalutis quaſi certam habeamus oportet.

De urinæ ſtatu ſiletur; nulla enim fiducia ejus conditionibus tribuenda eſt.

Lochiorum et lactis recens eruptio, ſi ex toto ſuppreſſa fuerunt, vel tantùm diminuta, optimi eſt ominis.

Vomitus

Vomitus ſpontaneus materiæ benè coloratæ, toto corpore ſudor lenis, ſtercora colorem ſuum et denſitatem adepta, pulſus plenior et tardior, mentis pathematum abſentia, collectivè exitum fauſtum promittunt.

Quòd ſi ſymptomata omnia haud multùm minuantur, modò ægra ad diem a morbi acceſſu decimum quintum vel decimum ſextum ſuperſit, e mortis limine illam revocari experientiâ ferè continuâ conſtat.

Quandò epidemicè graſſatur puerperarum peritonitis prognoſis noſtra omnibus in caſibus cautiſſima eſſe debet.

Deniquè quò minùs naturaliter irritabile eſt corpus, eò facilius ad ſanitatem poterit reduci.

Fauſto exitu eventuro ſymptomatum omnium remiſſio, ut et ſanitatis viriumque reſtitutio gradatim efficiuntur.

PROPHYLAXIS.

Facilius plerùmque ab imminenti malo cavetur, quàm præſenti medetur, eòque magis ad id vitandum omnia ſunt tentanda, quò gravius ipſius mali periculum; ſed quoniam puerperarum peritonitis jam adorta ſummos conatus noſtros ſæpiſſimè eludit, miſeramque ægram ab amicis dolentibus arripiens, Medico artis ſuæ imperfectionem demonſtrat, maximi reverà momenti eſſe debet mulieres ab hujuſce morbi acceſſu defendere. Hoc prædiſponentes excitanteſque cauſas vitando effici poteſt.

Quælibet igitur mulier per totum graviditatis ſuæ decurſum moderatè ſe exercere debet. Poſtremis menſibus ſit victus ſimplex levis nutrienſque, minimè verò ſtimulans. Licèt plerùmque faſciæ abdomen leniter comprimentes levamen aliquod auxiliumque præbeant, ligaturæ tamen ſtrictæ omninò evitandæ ſunt.

Alvi

Alvi aſtrictio ut et diarrhœa nunquàm non cavenda. Quodcunque ad inordinatos animi affectus excitandos conducit cautè fugiendum. Mulier quidèm iis tantummodò negotiis verſari debet, quibus delectetur animus, neque corpus fatigetur. Frigus calorve pariter evitanda, neque nimis diù retinenda eſt urina.

Abdomen poſt partum faſciâ leniter comprimi debet, ne ſanguinis fluxus nimiùm vehemens in ea vaſa, quæ inter graviditatem utero premebantur, repentinam ejus a cerebro derivationem, proindèque Syncopen producat.

Cubiculum rectè ventilandum eſt, ita tamen ut ægra aëri currenti minimè exponatur. Lecti velaria moderatè pandantur, ſtragulaque tot ſint quot ægra aſſueta fuit, et frequenter alia munda omnique humiditate carentia ſubſtitui debent.

Munditia maximè curanda eſt. Ægra in ſitu quieti ſomnoque faventi collocanda, et a nimiùm vividâ luce ac ſtrepitu ſecludenda. Incommodi cauſæ omnes, ut timor, ſtupor, et ſimilia, attentè vitandæ ſunt.

Statim

Statim ac vires permittant, in lecto ſedere debet ægra, aliquo eam a tergo ſuffulciente, cavens tamen ne ſe fatiget; laſſitudo enim ac debilitas ob nimium decubitum inductæ ita amovebuntur. Si alvum viginti quatuor vel triginta poſt partum horis ægra non dejecerit, leniens catharticum ſumendum eſt, vel, ſi permittat, enema injiciendum.

Victus ſimplex eſſe debet, concoctu facilis, minimèque exquiſitè aromatibus conditus. Sit potus mitis et refrigerans, ac aliquantò acidulus: Vinum, ſpiritus ardentes, et potiones cardiacæ omninò prohibenda ſunt, niſi aliter manifeſta neceſſitas exigat.

Celeberrimus LEAKE de prophylaxi loquens hæc verba habet :—" It has been obſerved, that " the more the body is endowed with an exqui- " ſite degree of ſenſibility, the more it becomes " diſpoſed to receive infection; would it not " therefore be rational and expedient, when this " diſeaſe is moſt frequent and fatal, to adminiſter " ſuch medicines, *a few days before and after deli-* " *very*, as have been known to ſtrengthen the

" con-

" conſtitution, and to diminiſh the ſenſibility and
" irritability of the habit? If ſo, nothing would
" ſo powerfully contribute to this end, as the li-
" beral uſe of *Peruvian Bark*, together with the
" Chalybeate Waters, particularly thoſe of *Pyr-*
" *mont* or *Spa*. Where the nervous ſyſtem is ex-
" tremely irritable, and thrown into diſorder from
" ſlight accidental cauſes, the prudent uſe of *opium*
" will alſo be attended with great advantage; as
" it will reſtore reſt to the body, and tranquillity
" to the mind, by diſpoſſeſſing it of thoſe diſquiet-
" ing ideas which diſturb and pervert the natural
" ſecretions, and tend to excite a fever. It has
" been ſuppoſed that this medicine will ſuſpend
" the bodily powers, and render them torpid and
" ſluggiſh in ſhaking off diſeaſes; but it appears
" too haſty a conjecture; for in women of hyſte-
" rical habits, who frequently ſuffer from agitation
" of mind, and where the pulſe from thence be-
" comes quick, weak, and tremulous, there is not
" perhaps to be found a more ſovereign and

" effectual

" effectual cordial in the whole *Materia Me-*
" *dica.*"

Corpus frequenter ita collocari debet, ut lochiorum fluxus promoveatur. Mulieres, infantes lactaturæ, mammas iis citò præbeant; lactis enim ſecretio ita promovetur, ejuſque accumulationi, et ductuum lactiferorum obſtructioni, quæ haud rarò mala graviſſima producunt, obviam itur.

Hâc curâ morbus plerùmque arcebitur. Sed ſi, non obſtantibus conatibus noſtris, ſuperveniat, ſeriò tunc nobis attendendum erit ad medendi methodum, in capite ſequente breviter expoſitam.

MEDENDI METHODUS.

Hujusce morbi medendi rationes tot fuerunt propoſitæ, quot, qui de eo ſcripſerunt, auctores; utcunque verò hypotheticè de hoc differant medici, illam medendi methodum, quam experientia comprobavit, breviter exponam.

Quoniam plerùmque quò major ſit rigor, eò violentior febris ſubſequitur, conandum eſt in primis

frigus

frigus diſcutere, potu plurimo tenui et tepido, pedum crurumque fotu, ad relaxanda vaſa cutanea, et ſanguinem illuc adducendum, et ita viſcerum vaſa a nimiâ diſtenſione liberanda. Grati cujuſlibet aromatici infuſio, exempli gratiâ, menthæ ſeu ſalviæ, hoc in caſu optimus eſſet potus; fluida enim ſpirituoſa ſtadii calidi et febris ſubſequentis violentiam maximè augerent.

In puerperarum peritonitide, non ſecùs ac in cæteris omnibus morbis revera inflammatoriis, ad *ſanguinis detractionem* in ipſo morbi principio nobis recurrendum eſt; hæc enim tempore idoneo effecta felicem ſemper morbi exitum producere ſolet, et a celeberrimis maximiſque medicis * totis viribus, verbiſque maximè emphaticis commendatur. De ſanguinis detractione differens hæc verba habet prælaudatus DENMAN:—"In the early part of "my own practice, I had much doubt of the pro- "priety of bleeding indiſcriminately for the cure "of this diſeaſe, and I was long of opinion, that "it was not the moſt natural, ſafe, or effectual

 "remedy.

* DENMAN, LEAKE, HULME, CLARKE Londinenſi, GORDON, aliiſque plurimis.

" remedy. I conſidered that ſpontaneous hemor-
" rhages were ſeldom critical in this diſeaſe; I
" ſuſpected that women in childbed ſuſtained bleed-
" ing worſe than in almoſt any other ſituation;
" and, from ſome defect in the remedy, or ſome
" error in the application, I often found myſelf
" diſappointed in my hopes and expectations when
" I relied upon it. It ſeemed alſo an obſervation
" of importance, that thoſe women who had loſt
" much blood at the time of delivery were more
" liable to this diſeaſe, and that it was more com-
" monly fatal to them. The conſequences alſo of
" erring by the too free uſe of the lancet ſeemed
" more to be dreaded, becauſe they were harder
" to be repaired, than thoſe which might ariſe
" from an oppoſite conduct.

" But I am now convinced, by manifold expe-
" rience, that my reaſoning was fallacious, and
" my fears groundleſs, and that what I had conſi-
" dered as proofs of the inſufficiency or impro-
" priety of bleeding in the true puerperal fever,
" ought in reality to be attributed to the neglect
" of performing it in an effectual manner, at the

" very

" very beginning of the diſeaſe. In ſhort, if the
" firſt ſtage be ſuffered to paſs unheeded, bleeding
" will certainly then be injurious, the opportunity
" having been loſt; and the phyſician afterwards
" called in, however great his talents may be, will
" too often have the mortification of being a ſpec-
" tator of miſchief, which he cannot then reme-
" dy, and of an event which he can only deplor

" It is in general abſolutely neceſſary to bleed
" in the beginning of the puerperal fever, and
" we may then avail ourſelves of the advantage
" which this operation affords, with equal ſafety
" and propriety as in any other inflammatory diſ-
" eaſe, under other circumſtances. With reſpect
" to the quantity of blood drawn, we are to be
" guided by the conſtitution of the patient, and
" the violence of the ſymptoms, being cautious
" not to err by bleeding unneceſſarily, or in tak-
" ing away too large a quantity. But, if bene-
" fit ſhould be derived from the firſt operation,
" and the violence of the diſeaſe ſhould require
" it, we ſhall be juſtified in repeating it at ſhort
" intervals; not with a view of moderating or re-

" tarding the progreſs of the inflammation, but " if poſſible of wholly ſuppreſſing it. For, when " the fever has remained for a very few days, the " putrid ſymptoms advance very rapidly, and its " continuance depends upon cauſes which cannot " be removed, but will be increaſed by bleeding. " When the attack is violent and the conſtitution " feeble, it is always more ſafe and expeditiouſly " ſerviceable to draw blood by ſcarification and " cupping, or by the application of eight or ten, " or even a greater number of leeches to that part " of the *abdomen* which appears to be principally " affected. In ſome countries, the application of " leeches to the hemorrhoidal veins has been con- " ſidered as more effectual in this diſeaſe than any " other mode of bleeding. I muſt acknowledge, " that the advantages which I have often ſeen de- " rived from local bleeding, have given me the " greateſt ſatisfaction and pleaſure."

Sententiæ huic tam ſtrenuè firmiterque comprobatæ ex imo pectore aſſentior, et nulla a me fieri acceſſio poteſt ad ejus ſcopum, præter conſilium hoc prudentiſſimum inter plurima alia a celeberri-

mo

mo LEAKE hiſce traditum verbis :—" But the " moſt ſecure way of proceeding in doubtful ca- " ſes will be to feel the pulſe during the time " that blood is flowing from the vein ; if its " ſtrokes become more ſtrong, ample, and free, " the quantity to be taken away may be increa- " ſed ; but if it ſinks and loſes its equality, the " bleeding orifice ſhould immediately be cloſed. " However, care is to be taken, leſt we are impoſ- " ed upon by that languor of the pulſe, brought " on from the compreſſion of the artery, by an o- " ver-tightneſs of the ligature round the arm."

Sanguinis igitur detractionem qui averſantur, vel nimiùm pertimeſcunt, vel theoriæ alicui prædilectæ ſubſerviunt.

Per primum morbi ſtadium, nempe dum adſunt diatheſis phlogiſticæ ſymptomata, *regimen antiphlogiſticum*, cuique benè notum, diligenter adminiſtrandum eſt.

Fomenta, abdominis parti dolenti ſæpè admota, plurimùm prodeſſe ſolent, ſpaſmum ſcilicet ſolvendo, partes relaxando, doloremque leniendo.

Veſicatoria quoque, abdomini lateribuſque applicata,

cata, ad inflammationem localem tollendam quàm maximè accommodari videntur.

Refrigerantia etiam, ut acida vegitabilia, ſales neutrales, fructuſque maturi, ad violentiam febris mitigandam quàm maximè conducunt.

Enemata emollientia, et *laxantia mitiora*, prout occaſio exigat, adminiſtranda ſunt.

Emetica, ſi vomitionem dolor abdominis permittat, vel ſi nauſea urgeat, dari debent. Cæteris omnibus antimonium tartarizatum præſtat; non ſolùm enim vomitum excitat, ſed alvum quoquè dejicere ſolet, et ſi parvis doſibus ſumetur, lenem ſudorem movendo, viſcera ſanguinis congeſtione exonerando, ſpaſmumque ſuperficiei tollendo, plurimum confert. Sed Ipecacuanha a quibuſdam medicis, præſertim Gallis, pro *Specifico* in hoc morbo habetur. Hujuſce rei cauſa hæc eſt. Statim ac rigor puerperam qualemcunque adoritur, ipecacuanhæ grana octo adminiſtrantur, et ſeſquihoræ intervallo repetuntur; hoc modo febris jam incipientis curſus interrumpi ſolet, et quicunque ſit morbus, ſive febris ſit communis, ſive miliaria, ſive ephemera,

phemera, a puerperarum peritonitide ægram liberari contendit medicus.

Quamvis autem tempeſtivum emeticorum uſum ob jam enumeratas rationes commendo, tamen puerperarum peritonitidem his remediis ſolis fugari poſſe maximè dubito. Quo enim modo ab iis ſolis reſolvi poteſt inflammatio peritonæi et omenti, quæ morbi hujus eſt cauſa proxima, et quæ per tempus aliquod, antequàm rigor, vel abdominis dolor, ſentiantur, exiſtere ſolet, ut ex cadaverum, intra dies ab acceſſione duos necatarum, in quibus non ſolùm inflammatio, ſed etiam effuſio manifeſta inveniebatur, inciſione conſtat?

Enemata ex infuſione Nicotianæ a nonnullis commendantur; eorum autem uſui obſtat maxima illa ad vomitum proclivitas, quæ quaſi ſemper in hoc morbo adeſſe ſolet. Ob eandem rationem *enemata ex Nicotianæ fumo*, a quibuſdam laudata, prohiberi videntur.

Egimus hactenùs de remediis in *primo morbi ſtadio* adminiſtrandis; poſtulat nunc inſtituti noſtri ratio ut agamus de his, quæ *per ſecundum ejus ſtadium* adhiberi debent.

Si

Si a ſuprà memoratis nullum afferatur ſymptomatum levamen, et ſi defecta langeat viribus ægra, omnia tunc temporis in putredinem ruere timeamus oportet. Ægræ igitur *vires ſuſtentare*, et ad *putredinem proclivitatem corrigere*, neceſſe eſt.

His conſiliis reſpondent prudens *vini potionumque cardiacarum* uſus, *victus lautior*, pulviſque *corticis Peruviani* ſub formâ gratiſſimâ liberaliſſimè datus; ſed ſi ventriculus quantitatem ejus ſufficientem recuſet, cum *opio et radice colombæ* miſci debet, vel etiam *enemata ex ejus decocto cum opii tincturâ* injicienda ſunt. A quibuſdam *Moſchus* et *Alkali volatile* commendantur.

Medici aliis in morbis experientia illi aptiorem ſymptomata graviora leniendi modum facilè indicabit, exempli gratiâ, vomitum levabunt *hauſtus ſalini* inter efferveſcendum ſumpti, abdominis dolorem mitigabunt *fomenta*, diarrhœæ obviam ibunt *enemata ex amylo, opii tincturâ*, &c. Sed quid ego hæc minora ac quotidiana recordor? Satis quidèm mihi multa verba feciſſe videor; perituræ igitur parcens chartæ, tractatui huic qualicunque finem hoc illuſtris Statii verſiculo imponam:

Durabiſne procul, Dominoque legere ſuperſtes?